



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 116. Nunquam sunt revocatæ Indulgentiæ, concessæ Ecclesiis  
Regularium pro Sæcularibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

esse erectam in omni Loco Sacra Congregatio. (Quod est ampliandum ad illam Doctrinæ Christianæ juxta literas circulares Innocentii XI. Episcopis directas 22. Junii. 1686. Vide *Officiale Curia quo ad Confraternitates.*)

**CXVI.** **E**T quia multi dubitant; an in revocatione Indulgentiarum olim concessarum Personis religiosi censeantur etiam revocatae Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Regularium, & visitantibus illas, omnimodè resolvit S. Congregatio: hanc revocationem nullatenus extendendam ad Indulgentias concessas Ecclesiis Regularium; cum Revocatio aperte tangat solum gratias concessas *Personis Regularibus.* Romæ 27. Sept. 1607.

*P. Cardinalis Arigone Præfectus,  
Dominicus Maria Peregrinus  
Secretarius.*

**CXVII.** **D**Emum circa Sepulturam Chordigerorum utriusque Sexûs, S. Congregatio Episcoporum & Regularium, in Controversia Seno-Galliæ. Die 22. Nov. 1580. sic observari mandavit: quòd (ubi adest Sepultura communis pro Chordigeris in Ecclesia Fratrum Minorum, ubi est erecta Confraternitas) sepeliantur in ea; ubi verò non est talis Sepultura; moderentur, sicut cæteri Sæculares, & sepeliantur in Parochiali Ecclesia: si non sibi elegerint aliunde Sepulturam, In Registro S. Cong. Episcop. & Reg. fol. 1. *Videatur Theatrum Regularium verbo: Confraternitates.*

*Modus cingendi Chordâ Personam que cupit aggregari huic Archi-Confraternitati. &c.*

**CXVIII.** **S**I quæ Persona petat adscribi Archi-Confraternitati Chordæ; Superior moneat talem, ut primò confiteatur *Vinea Seraphica.*

tur, & communicet; & ut isto die (quo sancto Francisci funiculo cincta fuerit) lucretur Indulgentiam plenariam, dicatque tali Admissæ ad Confraternitatem; quòd omni die oret devotè quinque Pater, & Ave Maria: ad honorem quinque Vulnerum Christi, impressorum corpori vivo S. Patriarchæ FRANCISCI. Non ex obligatione: sed ex pietate & devotione; detque notitiam primiarum Indulgentiarum, & Gratiarum concessarum Adscriptis huic Confraternitati. Adscriptumque vel Adscriptam libro inscribat.

*Benedictio Chordæ.*

**CXIX.** **A**Djutorium nostrum in nomine Domini.  
*Vers.* Qui fecit cælum & terram.  
*Vers.* Dominus vobiscum.  
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

*OREMUS.*

**O**Mnipotens & misericors Deus: qui Filium tuum vinculis humanitatis nostræ præcinctum, etiam in Passione (ut nos à peccatorum nexibus solveret) funibus ad columnam ligari voluisti, quique B. P. N. FRANCISCUM famulum tuum eidem ornate dignatus es; oramus immensam clementiam tuam; ingenti Benedictione hanc Chordam benedicere & sanctificare digneris: ut quicumque eâ cinctus (cincta) fuerit; per Passionem Filii tui, & Seraphici Francisci intercessionem, à peccatorum suorum laqueis liberetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Aspergat Chordam aquâ benedictâ; & quando cingit Chorda Confratrem, vel Confratrem, dicat. &c.*

Accipe Chordam super lumbos tuos; ut sint lumbi tui præcincti in signum Castitatis, & Temperantiæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

R

*Modus*